

Hunc ad scopum T. G. omnia sua dirigere, novit universa Moravia. Proinde non dubitavi has meditationes ad Te, Inclyte Heros, mittere, in quibus mihi curæ & cordi fuit, eum scopum intendere, quem omnes Christiani debent, quemq; T. G. cum primis intendit. Modus etiam opusculi non accidet T. G. ingratus. Est enim & brevis, & nisi vehementer fallor, utilis hic tractatus. Brevitate & Tibi, & Lectori placebit. Tibi quidem; quia tui ordinis homines impendio delectantur conciso sermonis genere. Lectori verò, quia facilius poterit percipere, quid rei sit. Rectè enim cecinit Horatius:

*Quicquid precipies, esto brevis, ut citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.*

Utilitatem non est quòd multis deprædicem. Aut cæcus, aut malefanus sit oportet, qui eam vel non videt, vel videre non vult. Conatus sum universalem rationem docendi & discendi singulas artes tradere in Panaceâ philosophicâ. Summa ejus est: *Omnes & singula discipline tradantur per Lexica, Præcognita, Systemata, Gymnasia.* Hæc quatuor si probè observentur, & studiosè conjungantur, dici non

ci non